S. Perdidit bonus ille vir qui tantopere commendaveras charissime Joachime &
operam & impensas. Nam sui in hac provincia iam dudum alius, illi probe cognitus
successerat. Nihilominus ubi olim urbs vestra tali chirurgo caruerit, te monebo
quemquidem illi prodesse desyderas. Cetera que de reliquiis & fera abominatione
scribis in urbe vestra, placent, modo negocium sic agatur, ne abbas conspici unquam possit
se scilicet inermem monachum cum suis violentia vel vestra vel civitatis invitatum a fide sua
avulsum. Derogaret siquidem dei glorie apud exteros, & adderetur ansa
maior calumniandi adversariis, Nam Eccius ille impudentissimus (taceo
portenta Murneri), omnia diligentissime colligit, quibus partes nostras universo
orbi traducat. Scripsit triginta paginas contra comitium nostrum, cui tu preeras
nec tui oblitus. λογοσάπιους quosque ita scommatis & conviciis ostendit,
ut in homine uno tantum inimicitias vix credidissem, Sebast. Oeconomum illi pavissis
reddet. Ad feram modii vestri redeo, Nihil omittam in persuadendis bonis
viris & primariis urbis nostre, modo omnia sub silentio maneant abscondita
ne quod contendimus, ille versutiis suis preveniat. Ab Oecolampadio hac
hora arripio bonam spem de basiliensibus, Item ab argentinensibus, qui iam
compertum Spire erant missam, missam facere, quum intercipiunt spem legati cesarei
atque tantum possunt, ut post comitia Spirensia missa illa misera vivat.
Urgent interim contionatores, e templo nostro tam privatim quam publice
proditionem Curiensium & omnia ut illic acta sunt, vellem te ad unguem
depinxisse, Nam varia referunt a variis apud nos, tamen Tilmannus
qui hoc vespere a comitiis badensibus rediit, certiora adferat. Ad feriam
secundam post dominicam oculi indictus est dies Tigurinis & bernatibus quo pariter
convenire moliuntur Lucerne Murneri. Cetera accesserunt urbi nostre quoad
federa servanda Friburgensium & Salodorensium, speramus eos Evangelii nostri
participes fore. In tota ditione nostra, missa abrogata est. utinam e cordibus
omnium avulsa esset. Nulla sunt apud nos que vos scire referat.
Salutant vos consortes mei, & primarii. Salvus sit Dominicus
Zilinus, Justinus, Cristannus & ceteri. Vale Berne
Nona Februarii. Anno M.D.XXIX.

Tuus ex animo Bertoldus
Hallerus.

Prudentissimo viro Joachimo
Vadiano apud Sanctogallen̄
consuli, Suo maiori in do
mino Sum̄e obseruādo

Bertholdus Hallerus.